

hi duo circuli duo Coluri. Deinde in vnoquoq; Coluro, a polis mundi numerentur 90. gradus, & in nonagesimo cuiusq; gradu applicetur tertius circulus, nempe Aequinoctialis ab vtroq; polo aequo remotus. Post hæc ab Aequinoctiali versus vtrumq; polum numerentur in coluris 23. grad. & semis, & in fine numerationis applicentur duo tropici, quorū quantitatem facile habebis, si prius diametros eorum accipias, ducendo videlicet lineam rectam a fine numerationis vnius Coluri ad finem numerationis eiusdem coluri versus eundem tamen polum. Eodem pacto numeratis totidem partibus ab vtroq; polo Aequinoctiale versus in eisdem Coluris, cōstituentur Arcticus & Antarcticus circuli, quorum diametros nō dissimili arte reperies. Rursus parctur circulus Zodiacus ambitu quidem aequalis tribus prædictis circulis maioribus, latitudine vero ab eisdem differens; Debet enim in latitudine continere 12. gradus; in cuius medio depingitur linea dicta ecliptica, vt in 2. cap. docebimus: Hic autem circulus ita applicetur, accomodeturque, vt totus circulus obliq; secet Aequinoctiale in duobus illis punctis, in quibus alter Colurus eundem Aequinoctiale secat; Linea vero ecliptica vtrūq; tropicum contingat in alijs duobus punctis, in quibus reliquus colurus tropicos secat. quorum vnum sumitur versus vnum polum, aliud vero versus alterum. Deniq; in hunc modum Meridianus, atq; Horizon constituantur, & ad inuicem adaptentur. vt intra ipsos fixos, & immobiles tota sphaera hætenus constructa libere circumuolui queat, hac tamen lege, vt hi duo circuli sese mutuo ad rectos angulos interfecerint, & meridianus circa suos polos (qui sunt communes sectiones Horizontis cum Aequinoctiali) moueatur in hunc finem, vt omnibus possit eleuationibus poli inseruire sphaera; Hac enim ratione polus magis deprimi, elcuariq; poterit. Verū tamen est, in nonnullis sphaeris Horizontē nunc deprimi, nunc eleuari, Meridiano immobili existēte; sed prior mihi modus magis placet. Atq; ita tota sphaera materialis confecta, & absoluta erit. Nam circulos Planetarum, qui solēt in nonnullis sphaeris apponi, ita vt moueantur semper sub Zodiaco & circa polos Zodiaci, quilibet propria industria facile sphaeræ imponet; Nos enim hic tantum præcipuos sphaeræ circulos tractamus. Hæc itaq; dicta sint in genere de circulis, quos Astronomi in cælo considerant: Nunc ad auctoris diuisionem reuertamur.

III I autem dicuntur, &c.] Diuisa sphaera secundum accidens,

(in qua